

# CAPUT II.

*De officiis resultantibus ex jure gentium.*

## §. I.

*De horum differentia officiorum.*

**Q**uemadmodum juris naturæ privati, quo  
versatur inter personas physicas, officia sunt  
diversa, ita & juris gentium, quod invenit  
dit inter personas morales, quarum qualibet  
sui juris est, distincta sunt officia.

Alia esse *absoluta*, & alia *hypothetica*, u  
perius observavimus. — Sunt & alia *negati  
va*, alia *affirmativa*, ad normam in iure  
naturæ privato explanatam. — Alia sunt *per  
fecta*, alia *imperfecta*. Priora in *justitia*, p  
iteriora in *naturali æquitate* fundantur. Conle  
quitur, quod, dum gens in alteram gentem  
circa varia objecta jus haber perfectum, per  
fecta quoque ex parte gentis alterius resul  
tet obligatio huic juri satisfaciendi, ita etiam  
ut gens invita vi ad istius officii adimple  
nem compelli possit. — Sequitur ulterius  
quod officia gentis ad gentem in sola æqui  
tate radicata præstanda quidem sint *ex obli  
gatione*, ita tamen, ut a gente invita pe  
vim extorqueri nequeant.

Gens

Gens igitur nulla in gentis alterius jura involare potest; et vim injustè illatam vi repellere licet: unde & gens quælibet eo in statu se conservare debet, ut violentiis hostium se se opponere, & securitatem exercitam sartam rectam servare valeat. — Quoniam porro naturalis æquitas dictat, ut gens una alterius sublevet indigentias, atque ut per mutuam rerum aut operarum communicationem mutuo gentium bono consulatur; hinc & imperfecta gentis in gentem officia sedulò colenda sunt & exercenda, utpote à quibus omnium prosperitas atque felicitas permultum dependet.

Ad officia imperfecta passim etiam referri solent officia *humanitatis eminentis* sive *noxiae utilitatis*, & officia *humanitatis vulgaris*, sive *utilitatis innoxiae*. Sicut inter privatos, ita etiam inter gentes officia isthæc locum habere possunt. — Sunt autem officia utilitatis noxiæ, quæ nonnisi cum aliquali incommodo aut molestiâ propriâ impenduntur alteri: v. g. si gens tertia inter duas gentes belligerantes ex charitate, variis inadtentis incommodis, mediatorem agat. Officia utilitatis innoxiae illa reputantur, quæ danti aut concedenti non sunt molesta, accipienti verò utilia; veluti si gens una absque incommodo genti alteri transitum per terras suas aut aquas concedere possit & velit.

De officiis perfectis & imperfectis generatim notandum est, quod pro rectitudine conscientiae non sufficiat sola praestare officia perfecta, verum etiam requiratur satisfacere officiis imperfectis in charitate & aequitate fundatis. Et profecto, cum graviores sint iuriae, quae roti genti inferuntur; si hinc etiam gravior est omissio officiorum impersectorum, quae a gente alteri genti denegantur. Unus omnium parens est Deus; igitur & ad unum omnes, quoad fieri potest, verae charitatis vinculis se se invicem necesse debent.

**De excellentioribus huic spectantibus charitatis officiis** cl. de Martini, Cæs. Maj. supr. Judicior. trib. consiliarius aulicus Cap. XVII. de gentium humanitate §. DL. seqq. egregie in modum loquitur sequentem: "Tunc vero mutuus populorum amor se se prodit potissimum, si alter alterius intellectum, voluntatem, ac statum externum perficere adlaboret; quorsum in primis pertinet cura ut veræ de Deo ejusque adtributis sententiae omnibus & doctrina, & exemplo instillentur. Præterquam quod enim contrarie in religione opiniones manifestum errorem aut ignorantiam saltem alterius gentis arguant, perpetuis etiam litibus atque odio præbent occasionem; cum econtra ex uniformi rectaque divini cultus cognitione novum quoddam, idque fortissimum societas vinculum educatur.

Atque duplex quidem hic concurrit officium, unum scilicet erga supremum Numinem, cuius gloriam, uti a singulis hominibus, ita & ab omnibus gentibus illustrari oportet: alterum vero erga alios homines, quos errore adeo perniciose libertari maximè interest generis humani. Quare collegium de propaganda vera religione (Romæ) institutum laudari satis nequit.

Ast quanta non est illorum impieras, qui pro proprio commodi causâ fovere sanguinum errores, & quamcunque Dei colendi rationem satis putant esse idoneam, si modo physica civitatis potentia inde accipiat incrementum! sanè, quæ à nonnullis adductæ sunt rationes pro promiscue religionis tolerantia, id unicè probant, vim metum, ac coactionem ad tradendam noctitiam summi Numinis inepros esse magistros. „Hucusque Cl. de Martini.

Cùm itaque præcipuum sit charitatis argumentum, si gens imbura religione a fide verâ ad populum non credentem, atque in tenebris ignorantiae latitantem lumen veritatis transmittat, dubitari non potest, quin mediorum in hunc finem necessariorum præparatio sit maximâ concelebranda laude. Atvero magis idonea mediorum horum præparatio, atque ad intentum finem applicatio à nemine efficacius exspectari potest, quoniam Summo in terris Christi vicario, qui uni-



versali potestate sacrâ dotatus, atque aposto-  
lico zelo commotus, in collegio de pro-  
paga fide idoneos Sacerdotes competentibus  
linguis atque scientiis exornat, atque ex-  
tunc in diversas mundi plagas cum debita  
jurisdictione mittit, ut ad gentes quascunque  
extraneas summum veræ religionis benefi-  
cium aut transfundatur, aut apud ipsas con-  
serveretur. Summopere igitur etiam ex hoc  
capite divi Petri cathedra, cuius fons apo-  
stolicus etiamnum adhuc exit in omnem ter-  
ram, commendanda venit, & honoranda.

Gentes porro illæ, quæ principiis au-  
bris tum religioni, tum statui periculis &  
adversis alias usque adeo gentes inficiunt  
atque corrumpunt, graviter vulnerant offi-  
cialiis debita gentibus: inde & enaseitur,  
quod gens sit contra gentem, regnum ad-  
versus regnum, subditus contra superiorem.  
Id nemo negaverit, quod subordinatio ci-  
vili sine subordinatione sacra vix, aut ne-  
vix quidem subsistere valeat; populus enim  
irreligiosus mox erit populus sediciosus, si  
limitatus & exlex: religio quippe firmissi-  
mum est fulcimentum & sustentaculum tho-  
racis civitatis.

## S. II.

### De equalitate gentium.

Qua ratione homines in statu naturali specie-  
tati sint aequales, adumbravimus in jure na-  
ture

rukæ private. Statum hunc æqualitatis imòl  
 ipsum statum anarchicum minimè suis scido-  
 neum ad felicitatem intentam acquirendam  
 & promovendam, observavimus in jure na-  
 turæ publico: unde consultum fuit ac mora-  
 liter necessarium à sua naturali libertate nome-  
 nihil remittere, ac per pactum unionis  
 subjectionis inire statum inæqualem, seu ini-  
 perio rectè ordinato se submittere, pro-  
 inde jura & officia civitatis fundare. Cum  
 igitur jura & officia civitatis, sive imperii,  
 potissimum constituta sint per pacta, conse-  
 quens est, quod sine consensu utriusque partis  
 paciscentis dissolvi legitimè nequeant: in-  
 super, quod nequidem per utriusque partis  
 consensum dissolvi possint, si status ille civi-  
 tatis nexum habeat, cum alio statu altiore,  
 aut originario: consensus namque plurium  
 contra ius quæsumum tertii nullus est.  
 Verum nihilominus est, quod gens sub-  
 ratione gentis cum talia gente comparata,  
 quoad jura sua eidem restimanda sit æqualis,  
 & ab ea independens, velut ex ipsa superi-  
 rius tradita gentis notionem patescit. Unde  
 Cl. Zallinger Lib. IV. j. g. CCLXX. inquit:  
 " Qua parte juris æqualitas est, prærogativa  
 " & proædria non habet locum; quapropter  
 " cum in congressu gentium, id est, sum-  
 " morum imperantium, vel quarumcunque  
 " personarum eas repreäsentantium non pos-  
 sit non ordo quidam constitui, is ex pac-  
 " tis

“ tis tacitis vel expressis repetendus est,..  
 Et in nota sub num. i. adnexâ subjungit  
 idem author: “ Nominis *Romani* cultus (ip-  
 “ quis Petrus de Marca Lib. II. Concord.  
 “ Cap. II. n. 9.) quod in titulis imperatoriis  
 “ hodie fulget, B. Petri memoria & Sum-  
 “ mi pontificis unctione consecratur apud  
 “ cœteros principes non inviros primum Yo-  
 “ cum imperatoribus Romano - Germanicis  
 “ conciliavit.

**Quamvis igitur una civitas sit potentior**  
**aliâ, alteri tamen comparata sub civitatis seu**  
**gentis ratione, eâdem libertate gaudet; ve-**  
**luti si in statu naturali comparavero homi-**  
**nem naturalibus viribus robustiorem cum**  
**minus robusto.**

**Circa hanc gentium æquitatem Cl. de**  
**Martini Cap. XVI. de æqual. gent. S. DXXXVII.**  
 inquit: “ Inde manifestè conficitur, ut quis-  
 “ que populus non modo animo, corpori,  
 “ bonis rebùsque singulorum civium ab ex-  
 “ ternis etiam injuriis præcavere obligetur  
 “ vi unionis civilis; sed etiam ut juribus iis  
 “ gaudeat, quibus efficere possit, ut hac  
 “ ipsa unio & forma reipublicæ, leges fun-  
 “ dameniales, jura majestatica & eorum usus  
 “ perdurent; contra illa omnia, quæ vincu-  
 “ lum civile dissolvere, & ita interitum ab  
 “ adfere posseat, averruncentur.

### § III.

#### *De libertate gentium.*

**E**xploratā gentium aequalitate, ad earum libertatem inde redundantem progredimur. Notum est ex prioribus, quod gens una quoad jura sua, leges fundamentales &c., ab alia sit independens; ex quo fit, quod libertate gaudet singula pro felicitate sua regulandi ac determinandi, quin ab arbitrio & imperio alterius gentis in iis turbari possit aut impediri; quia par in parem nullum habet imperium.

**G**ens igitur, seu gentium imperantes imperium habent in temporalibus eatenus illimitatum ac liberum, ut per se loquendo nullum aliud in iis superiorem recognoscant, atque proinde nulli alteri genti actionum ac constitutionum suarum rationem redere teneantur, neque ab illa in jus vocari possint, aut earum legibus obligentur.

Hac tamen non obstante libertate gentium imperantes unà cum membris suis subjecere se poslunt in spiritualibus Evangelio legibusque sanctæ & orthodoxæ ecclesiæ, & sic cum aliis gentibus catholicis unam veramque componere ecclesiam. Quocirca *Innoc.* *Pap. III. Cap.*; per venerabilem 13. ita loquitur: « Ea libertas non obstat, quo minus summi imperantes catholici, tanquam piis-

“ fami

“ simi ecclesiæ filii, ejus se legibus in re  
 “ quavis ad sacrosanctam religionem & semi  
 “ pitem, salutem spectante subjectos esse  
 “ libentissime agnoscant & profiteantur audi

— Et circa rem eandem S. Chrysostomus in  
*psalm. 44.* in modum perorat sequentem  
 “ Universum orbem terrarum pervaserunt  
 “ apostoli; & plus quam omnes principes  
 “ fuerunt magis propriè principes, regibus  
 “ potentiores; reges enim, dum vivunt, do  
 “ minatum habent: iis autem mortuis inter-  
 “ cedit dominatus. Et regum quidem lege  
 “ ratae sunt, & valide intra eorum fines  
 “ iussa autem piscatorum per universum or-  
 “ bem terræ extensa sunt. Imperator romani  
 “ norum persis non posset ferre leges; nec  
 “ persarum rex posset ferre leges romanis;  
 “ hi autem palestini & persis, & romanis,  
 “ & thracibus, & schythis, & indis, &  
 “ mauris, & universo denique orbi terra-  
 “ rum leges dederunt. Nec solum, dum  
 “ niverent, firmæ & ratae fuerunt, sed his  
 “ etiam mortuis confirmatae fuerunt; & qui  
 “ eas leges acceperunt, malent animam mil-  
 “ lies profundere, quam ab illis desciscere.  
 “ Memor ero nominis tui in omni genera-  
 “ tione & generatione: propterea populi  
 “ confitentur tibi in æternum, & in le-  
 “ tulum facilius.”

De exteriori liberum est gentibus ini-  
 “ pecta & foedera, exercere commercia &c.  
 “ cum aliis gentibus sibi bene visis: nil ramen  
 “ imponit.

genti operari licet, per quod jus perfectum alterius laederetur; id quod evenire posset, felvi & armis, aliisve modis realiter influentibus adfisteret alieno populo rebelli quæ tali evicto contra legitimos suos imperantes. — Porro libertatem habent gentes jura maiestatica per suos imperantes, penes quos resident, ita exercendi, ut nulli genti alteri competit iisdem se se immiscere, aut eadem turbare, vel immutare. Plenum ergo jus habent gentes suam regiminis formam, suam independentiam sanamque libertatem tuendi contra gentes alias, quæ in justè ipsas invadere moliantur; atque in hunc finem aliarum gentium implorare, sibique copulare auxilium. Econtra, nova & iuepta moliri contra legitimos suos imperantes, pleno vetitum est jure.

Quid statuendum sit de spuriâ illâ libertate philosophicâ, quæ sinceritatem fidelitatemque inter ipsas etiam gentes dissolvere, ac radicitus evellere adprimè est nata, qui liber æquus rerum arbiter facile definiverit. Hæc si apta fuerit ad turbandam securitatem internam, quidni & sufficiens sit ad extirpandam securitatem externam, non sine maximo gentium incommodo atque derimento? — Quodsi spuria ista libertas eosque extendatur, ut nexum ac vinculum inter Deum & homines, inter superiores & subditos solvere meditetur; faciliore negotio humanitatem & charitatem rampet inter gentes & gentes, inadrent, quod specie frateri

terni amoris titulo, omnigenæque æqualitas ac communionis bonorum reducendo beneficio incallum glorietur. — Illud in aprico est, quod omnis, qui Deum ipsum ante tribunal vacillantis suæ rationis cirare, ejusdemque summam gubernandi potestatem in dubium vocare, aut penitus negare non erubescit; à potiore principes & quoslibet imperantes de legitimitate auctoritatis suæ atque potestatis interrogare, eandemque subprimere non erubescat, sicque imperiis, ac consecutivè ipsis gentibus vulnus infligat lethale. — Rem verbo: sicur falsa ista ac perniciosissima philosophia de gente in genre translata atque diffusa perniciosissima nova principia gentibus inspiravit; ita & fatalis illius effectus de gente in gentem cum maximo boni communis, felicitatisque tam temporalis, quam æternæ dispendio, veluti morbus epidimicus, propagari videtur.

Consectarium est, quod imperantes, sibi, æque ac populis sibi concreditis consilere velint, veluti re ipsa ex officio tenentur, suam in id debeant convertere curam atque vigiliam, ne spuriæ hujusmodi ac venenatae merces aut in propriâ patria fabricentur, aut ex aliis terris in sua terra invehantur, liberamque in illis circulationem in ipsis etiam teneræ juventutis priusque sexus manibus habeant.

Salutaris iste, ac pro religionis & morum conservatione summe necessarius finis ut adtingatur, necessum erit, ut per debitum zelum imperantium sic dicta *libertas typographica*, quæ per intolerabilem proterviam, impudentemque petulantiam non raro usque ad horrendas blasphemias extenditur, restringatur ac refrænetur; sicque inter debitos consistat limites: necessum erit, ut ex parte imperantium visitentur & revideantur officia librariorum, qui pestilentibus ejusmodi libris atque libellis saepe turgent; ut proinde ineptus non sim, si dixero, eas esse pharmacopolia, in quibus venenum pro extincione religionis, & statutus civilis recte ordinati liberè venditur & emitur, & opportune propinatur sipientibus libertatem philosophicam supra delineatam. Illud ergo tolerare, idem est, ac revulsionem & conculationem fulcrorum religionis ac reipublicæ oculo indifferente aspicere & indulgere, sive permettere: necessum est denique, ut sana & recta subordinationis tum sacra, tum civili principia illæsa custodiantur & immobilia, omnique fortitudine & auctoritate suffulciantur, atque ut validum maneat vulgatum isthoc: *principis obſta, ſerò medicina paratur.*

#### §. IV.

##### *De jure conservationis & perfectionis.*

Gens nulla potest debitâ ratione subsistere, nisi suas in id vires impendat, quod utile



**est atque necessarium tum ad conservationem  
tum ad perfectionem suam.**

**Quemadmodum** quaelibet persona **Phi-**  
**nica** jus habet se conservandi, ac se statu-  
que suum perficiendi, ita pariter quaelibet  
gens, tanquam persona moralis, jure **gav-**  
**der** se conservandi, perficiendique.

**Cum** porro jus ad finem quoque  
huius jus ad media ordinata; consequens  
quod cuilibet genti competit, talia eligere  
arque reipsa applicare media, quae ad  
conservationem, ac perfectionem apta  
& necessaria.

**Conservatio** gentis vel maximè dependet  
conservatione jurium tam immanentium  
quam transeuntium; utpote à quibus sequen-  
tas tum interna, tum externa dependet.

**Gens** itaque rectè instituta omni conatu  
ac vigilantiâ curare debet, ut imprimis juris  
immanentes, uti sunt recta forma regimantur  
quantum ipsa adhuc perutilis est, leges fun-  
damentales proficiat, iura majestatica  
illæsa maneant, ac sanctè custodiantur:  
Torrè per jurum istorum innovationem in-  
statum deteriorem. & vix amplius sanabile-  
lēm conjiciatur. — Curandum est deinde  
ut externa quoque gentis securitas salvo  
consistat & incolmis. Contra injustos ad  
vressores externos tam efficacia paranda,

tempore opportuno in effectum deducenda sunt media, ut hujusmodi invadentes arceri valeant atque repellendi, & sic omnium civium in ea gente consociatorum vita, libertas & bona salva maneant & contutata. Stolidum profecto foret, tum primum, quando Hannibal est ante portam, aut ipsos modo territorii fines perrupit, cogitare velle de inventiis & applicandis mediis repulsivis; veluti à simili minus providum esset ex parte imperantibus, tum primum velle speculari de coercendis hostibus intestinis sive domesticis, dum via eorum, atque consociatio prævaluit.

Ad jus conservativum gentis etiam spectat jus suos conservandi subditos: unde in jus istud impingit, qui aut per violentiam, aut per fraudem, aut per artes illicitas subditos contra imperantium voluntatem subducit, atque in alienas terras clanculè transfert, aut quod pejus est, quasi mercimonium in hoc genere colit: hujusmodi plagiis jure merito graves definitæ sunt pœnæ.

Perfectio gentis vel maximè respicit modum inveniendi media, defectus in gentis compage subsistentes emendandi, atque ad meliorem, bono communi ac privato magis faventem ordinem singula reducendi, adeoque removendi impedimenta, quæ bono isti sunt opposita. Media autem ista ordinata esse debent, ac revera sufficientia & valida satis atque accommodata ad veram, minime vero

ad filitiam gentis felicitatem, æstimationem  
& gloriam sive honorem.

Habet ergo gens quælibet jus tum ad media conservationis, tum ad media perfectionis, ita tamen, ut media isthæc nec proprie, neque alienæ noceant felicitati. Negotia gentis cum alia gente tractari debent circumspectè, sincerè, providè, & charitativè; quare etiam gens in gentem jure gaudet imperfecto, ut mutuæ subleventur industria, quantum id circa proprium fieri potest detrimentum, aut inde enascendam indigentiam propriam: ex quo sit, quod jure designato resultans obligatio non nisi imperfecta sit. — Cùm denique nullum sit jus ad illicitum, consequens est, quod media conservationis & perfectionis ab omni nævo debeat esse depurata.

### §. V.

#### *De Commercio.*

Commercium à variis quintum reipublicæ elementum nuncupatur, ob singularem suam tum in quavis societate politica, tum inter gentes utilitatem, si non proper ipsam necessitatem; cùm civis re civis alterius sèpè indigeat, cumque gens alterius gentis egena communicatione rerum; enimvero non omnis ferr omnia tellus.

non dicitur. Commercium recte describitur mutua inter homines, vel gentes, mediante aut permutatione, aut emtione ac venditione, rerum illarum communicatio, quibus mutuo indigent.

Commercia potissimum ex eo orta videntur, quod bonorum communione cessante, atque introducta divisione rerum, ac genere humano multiplicato, & in varias gentes inter se se dissitas diviso, modus inveniretur atque institueretur, quo mutuae sublevarentur indigentiae. Atvero modus magis idoneus inveniri non potuit, quam commerciorum recte institutorum cultura. — Commerciorum, inquam, recte institutorum: ex quo sit, quod a commerciis genus omne fœnoris, fraudis, injustitiae &c. longius propulsari debet; seclus enim non tam mercatura, quam usura in summum hominum, ac gentium detrimentum obtinebit.

Commercia primitus per permutationem rerum, cùsà verò pecuniâ per emtionem venditionem ut plurimum pertractata fuisse, & etiamnum pertractari docet experientia. Non minus experientia docet, quod à flore commerciorum temporalis gentium felicitas per multum dependeat; ut proinde tam impetrantes, quam subditi hanc temporalis boni scaturiginem non occludere, sed potius promovere atque diffundere pro viribus debeant; media proinde paranda sunt & instituenda idonea satis ad finem istum societatibus ac gentibus perutilem debite adtingendum,



Quocirca Cl. de Martini Cap. XVII.  
gen. tum. §. DLVIII. & DLIX. ita loquuntur: "Quamobrem I. emporia, nundinæ,  
" portus constituantur tuti, quod merces in  
" vehi, evehi, commodéque permutari sint  
" magna mora possint. II. Privilegia sive  
" emendi res invectas, antequam aliis eis  
" emere liceat, sive sistendi merces in flu-  
" mine publico, ut eas vendere, aut secus  
" tributum præstare necesse sit, vulgo pro-  
" polium & jus stipulae, non facile concedantur;  
" leges verò in extraneos injuriæ, ni-  
" miāque vestigalia abrogentur. III. No-  
" minentur consules seu personæ, quæ in em-  
" poriis & portibus privilegia nationis sua  
" custodian, & lites inter mercatores ortas  
" breviter, & sine magnis sumtibus definiantur;  
" & si quæ sint alia, quæ commerciorum  
" florem promovere apta sunt, à singulis  
" populis constituantur".

Et Cl. Heineccius Lib. II. j. n. & g.  
CLXXXIX. circa hoc objectum statuit sequentia. "Superest jus imperantium circum  
" commercia. Cum enim sine ipsis vix sub-  
" sistere possit genus humanum, nedum res  
" publica: facile patet, in eam quoque cur-  
" ram incumbere debere rectores reipublicæ,  
" ut & florent commercia, & rectè omnia  
" circa illa fiant. Et quandoquidem iis iuris  
" omnia competit, sine quibus finem obti-  
" nere non possunt, consequens est, ut pos-  
" sint illi leges de commerciis, opificiis, ex-  
" portandis

portandis importandisque, . . . De re quoque monetaria ferre, negotiis instanter privilegiis ornare, mercatoribus peregrinatatem præstare: societas mercatorum magiores munire privilegiis, & generatim ea omnia agere, quibus foedera & pacta cum aliis principibus rebusque publicis initia non refragantur „.

*Libertas negotiationibus atque commerciis competens & adnexa vel maximè in eo consistit, quod commercia exerceri sub debitis regulis valeant in utilitatem propriam, vel alienam. De hac libertate authores passim sequentes ex jure postulatas tradunt regulas:*

1<sup>o</sup>. Nulla gens cogi potest, ut alterius admittat commercium, sique ei aut res suas vendere, aut ab illa res illius emere debeant, nisi forte casus extremæ necessitatis præ manibus foret; sicut enim in casu extremæ necessitatis bona inter hominem & hominem, ita quoque inter gentem & gentem communia dici possunt.

2<sup>o</sup>. Jus perfectum exercendi commercia cum altera gente acquiritur sola pactione, quæ tamen, ute pote à libero paciscentium partium consensu dependens, variis potest restringi modis ratione temporis, rerum conditionum &c.



3tio. Si gens aliqua commercium cum alia gente exercere velit, per se loquendo, ut pote independens, à gente tertia nequit impediri, aut arceri. Potest tamen cum alia gente iniri pactum, ne hæc exerceat commercia cum gente tertia, vel eorum causa ad certa loca navigationes instituar.

4tò. Quid juris sit circa concessionem transitus, si gens quædam eundem ab intermedia gente petat, ut cum alia exerceat commercium, postulandum est è pactis, si quæ subsistant, tum ex officio gentis intermediae erga seipsam puncto felicitatis propriae, tum à principiis jurium imperfectorum: in quibus summæ æquitatis ratio fundatur, concedendi bonorum eorum transitum quæ in proprio gentis territorio creverunt, quin tamen sine transitu per territorium gentis alienæ ad capitalia gentis loca transferri queant.

## §. VI.

### *De jure existimationis, ac de repressaliis, et retorsione.*

**I**psa dictante naturâ quælibet persona physica in conservationem existimationis suæ propendet, graviterque se læsain meritò judicat, dum ab alio suâ injustè privatur existimatione: ex quo fit, quod maximè quoque intersit gentis, suam erga gentes alias conser-

Vare existimationem; quoniam à debita existimacione plurima diffluunt atque dependens bona: unde competentem existimationem personæ sive physicæ, sive moralis violare, aut ē medio tollere, idem est, ac gravissima eidem infligere mala.

Quaelibet ergo gens jus habet perfectum erga gentem aliam suam conservandi existimationem; ex quo jure resultat cujuslibet gentis alterius obligatio perfecta, existimationem istam, unâ cum consecutariis suis, non arrodendi, turbandi, violandi.

Principalia autem existimationis consecutaria sunt: authoritas, honor, & actuum recte ordinatorum agnitus ex parte nationum, seu gentium exterarum. Igitur invasio authoritatis, honoris, ac debitarum constitutionum alterius gentis, est laesio juris gentium, & juris quidem perfecti; adeoque reparationem ac restitutionem postulat.

Præterea necessum est, ut inter gentes debita obtineat fides; quam fidem gentium auctores passim dividunt in politicam, moralem, ac mercatoriam. — Fidem politicam nuncupant, vi cuius judicari de alia gente potest ac debet, quod potentiam sua, quā alii aut prodesse, aut obesse potest, recte sit usura; atque proinde in hoc generi sinistri nihil à tali gente sit timendum. — Fidem moralem in eo constituunt, quod de



alterius gentis justitiâ, fidelitate, paetorum  
ac fœderum piâ observantia &c. fidendum  
fit. — Fidem denique *mercatoriam* figunt in  
judicio de securitate pecuniæ creditæ, ejus  
que refusione, atque in cœteris, quæ com-  
merciali adfinia sunt generi.

*Jus repressarium*, aut, uti legunt alii,  
*repressiarum*, ignotum erat veteribus; quare Cl.  
Heineccius Lib. II. j. n. & g. §. CCV. inquit  
“ Adeoque nec vocabulum suppeditat latine  
“ lingua, quod ejus indolem exprimat,”  
Porro Cl. author §. citato, sequentem juris  
repressarium tradit notionem: “ Itaque si non  
“ inter ipsas gentes & civitates incidit con-  
“ troversia, sed ob denegatam civi nostro  
“ justitiam, personis aut rebus alterius rei  
“ publicæ aliâs amicæ, civium manus inji-  
“ cimus, hoc non belli, sed *repressiarum*  
“ nomine venit „.

Explicatius tradunt notionem *repressarium*  
qui ea tunc fieri & obtinere dicunt, quan-  
do unus pro alio, & res unius pro re alterius a  
competente autoritate apprehenditur. — Itaque,  
cæteris paribus, non solum res alterius, sed  
etiam persona obnoxia est juri *repressarium*;  
ita, ut dum sufficiens obtinet ratio, una ram,  
quam altera in ordine ad compensationem,  
justumque æquilibrium apprehendi possit ac  
retineri, usque ad restitutionem in integrum.

Culpa

Culpa ad capienda repressalia movens potissimum penes gentem præviæ lædenterem resideret; quæ proinde culpa & imputatur illius membris: unde licet hinc inde apprehendatur persona, quæ quoad se culpam non comisit, aut res illius, qui personali culpâ vacat; nihilominus justa sunt talia repressalia, cœu ad culpam gentis relata, & pro tali casu non aliter deducibilia in effectum.

A repressaliis differt *jus retorsionis*; retorsio enim sit, dum quis imperans idem *jus contra extraneos* in suo territorio existentes exercet, quod imperans aliis præviæ exercuit contra extraneos in suo territorio existentes.

Perspicuum est, quod *jus retorsionis* ad primè sit consonum æquitati ac juri naturali; quodque usus illius saepe sit necessarius ad autoritatem propriam, atque ad subditorum suorum felicitateni sartam rectam conservandam. Satius tamen est, imo obligatorium, conniti, ut gentes charitatis genuinæ vinculis, quoad fieri potest, colligatae maneant, atque ut similia incommoda penitus evitentur: quo circa Cl. Zallinger Lib. IV. de j. g. §. CCLXXVIII. inquit: "Ad hæc evitanda incommoda frequentes mutuae benevolentiae testificationes edere conantur populi; cuiusmodi sunt, si rebus incidentibus prosperis, vel adversis, quæ unam gentem affectiunt, altera gens in partem lætitiae, aut doloris venire se manifestat,